

rum circumstantiæ, animi genius, rei, de qua agitur, argumentum ad sili varietatem quammaximè conferunt. Tria Salomonis Opuscula, singula peculiarem præferunt elocutionem: gravem, & sententiis referentem Proverbia; fortem & argumentis reventem Ecclesiastes; suavem, accuratam, vividam Cantica Canticorum. Præterea in Pathmos Insulâ, ibi enim cum Patrum plerisque, & fermè singulis, Apocalypsim à S. Joanne editam ducimus, eadem, quæ Ephesi, præsto ei non erant auxilia, quibus per Viros peritiores & filium expoliret & opus castigaret.

Apocalypsim artificium atque venustas Doctissimis plurimis in admiratione fuerunt. S. Hieronymi laudes supra jam retulimus S. Dionysius Alexandrinus Opus, quantum ad rem ipsam, plurimum commendat. Henricus Morus (*m*) tantum Apocalypsim pendit, ut ejus artificium & venustatem omnibus præferat: *Nullus unquam Liber majori cum artificio scriptus est, unoquoque verbo velut in bilance pensitato.* Abbas du Pin (*n*) hujus voluminis singula verbis amplissimis effert, sub *m* & propheticum stilum, narrationes omnes & descriptiones præclaras, grandes, & phrasibus prophetis expressas. Permaximo, subdit, artificio elaboratum est; Veteris Testamenti figuras sibi egregiè accommodatas exhibet; Veterum Prophetarum phrasas ad rem summopere usurpat. Cælum & terra visionibus singulis theatrum, Dominus verò, Agnus, Angeli, inferorum Potestates, mundi Reges, Idololatria in scenam inducuntur, & singula ad virum, personam agunt suam, ut Lectorum animi ab iis tanquam vi quadam sensibili commoveantur. Narrationes demum, simplici licet & naturali methodo expositæ, sublimitatem, phrasas verò undique magnificentiam referunt. Si quid obscurum, non ad verba, ad res tantummodò referendum.

Si hujus præstantissimi Viri judicio & nostram sententiam nobis liceat adjungere, cum Apocalypsim suscepimus explicandam, nullo in illam inclinantis ingenii momento ferebamur; eam enim veluti ænigma humanâ inquisitione, nisi divina opitularetur revelatio, nunquam solvendum animis nostris reputabamus; omnesque Interpretes nobis veluti homines effugebamus, qui tenebris undique offusi, quò forte feruntur, incedunt. Re verò studiose perspectâ eam operis venustatem tandem agnovimus, ut cum elegantissimis Danielis, Isaiæ, Jeremiæ, Ezechielis locis jure merito possit comparari: nil profectò nobis occurrit, quod nostram in se non converterit admirationem. Sive ordinem, & rerum delectum; sive lumen in obscura quadam loca opportunè effusum, & eventus ingenuis nobilibusque figuris mirificè contextos; sive sexcentis propemodum in locis, quæ micant in Prophetis & in Templi ritibus singularia magnificis allusionibus expressa; sive denique pulcherrimas descriptiones ad timorem unâ & reverentiam in Lectorum animis concitandam idoneas advertamus,

omnia magnificentiam referunt, & venustatem. Divina ibi Majestas, infinita ejus Potentia, & in Reges, Imperia, Orbemque universum Dominium supremum vividis coloribus exhibentur. Narrationes graves, vivide, variæ, & ingeniosæ. Vividior hac possum nunquam agnovimus, nil enim irritum, nihil otiosè positum offendimus; eorumque, ad quæ Apocalypsis respicit, vestigia ita dilucidè perspicimus, ut historiam figuratè contextam, seu poetis ornamentis instructam perlegere reputeamus.

ARTICULUS V.

Apocalypsis argumentum & conspectus.

TRifariam Apocalypsim dividi potest. Prima tria capita ad septem Asiæ Ecclesias respiciunt, quibus excolendis S. Joannes potissimum institit, quibusque vel ex Insulâ Pathmos, ubi exulabat, gubernandis incubuit. Sexdecim succedentia capita calamitates & bella, quibus à suis persecutoribus Ecclesia confecta est; victorias, quas de illis reulit; ultionem denique, quam ab hostibus propter casos Martyres Deus exegit, complectuntur. Tria demum postrema ad Filii Dei triumphum pertinent, quibus etiam Beatorum Martyrum felicitas, Judicium postremum, mortuorum resurrectio, Justorumque in Cælis aterna voluptas describuntur.

Tribus primis capitibus ad Ephesim, Smirnam, Pergamim, Thyatiram, Sardis, Philadelphia, & Laodiceam Ecclesias prophetiam instructionem contineri, vulgò convenit; quamquam plures Interpretes in iisdem mysteria investigant, & monita ad septem Ecclesias ita directâ, ut ad futuros etiam eventus, & ad totam Ecclesiam pertinere tuerentur. Tria verò postrema ad Mundi interitum, & ad Beatorum in cælis felicitatem, nullum est omnino discrimen. Totâ igitur interpretationis difficultas secundam hujus divisionis partem afficit, & in eo sita est, ut non modò generatim, hæc enim ratione vix inter Authores dissidium, verum etiam peculiariter S. Joannis vaticinia in historiis completa esse ostendantur, ab anno 303. quò maxima Diocletiani & Galerii cœpta est persecutio, usque ad annum 410. quò Romam Alaricus oppugnavit. Hujus persecutionis veluti præludia habenda sunt cæteræ, quas Judæi, Præfecti, Imperatores Romani, & Idololatræ cæteri in Ecclesiam excitant.

Quartum caput Præfationis vices gerit, qua Dei Majestas, & veluti scena, ubi hæc acta est visio, describitur. Dei decreta atque consilia à Jesu Christo S. Joanni revelata, per Librum septem consignatum sigillis, & ab Agno resignatum, quinto capite exhibentur. Dum sigilla singula (cap. 6. & 7.) aperiuntur, eventus ab eorum quolibet contexti patefiunt, seu potius quæ deinde eventura sunt, prænunciantur. Primo

resignato sigillo, Jesus Christus albo equo insidens sese victorem exhibet, ut famulis suis addat alacritatem: *Consilite: ego vici mundum* [0]. Secundo bellum, à quo Ecclesia vexanda est; tertio, caritas qua premendum est Imperium; quarto pestis, seu mortalitas prædicantur. Quinto SS. Martyres ultionem expetunt. Sexto concutitur tellus, tenebris Sol, Luna sanguine effunditur, cadunt sidera &c. quæ omnia calamitates referunt, quibus Roma, Romanum Imperium, & Ecclesiæ persecutores obruti, propter immanes Fidelium cædes, corripientur. En totius Apocalypsis generale argumentum. Singula verò consequentibus capitibus peculiariter ostenduntur. Huc usque eorum, quæ ventura sunt, veluti contracta tabula visa est, atque adumbratio: eadem deinde fufius, atque ampliora exhibentur; Prophetia enim gradatim elarescit: quò verò ulterius progredimur, eò Spiritus Sancti majori luce perfundimur.

Cap. 7. ad magnum aliquid aspiciendum instruitur quatuor Angelorum repræsentatione, qui ventis singulis dominantes, ventorum impetum cohibere jubentur, quousque Dei signum in omnium Electorum frontibus imprimatur; statimque eodem Dei sigillo innumerum notantur. Angelus deinde [cap. 8.] sigillum septimum resignat; quo aperto septem Angeli totidem videntur tubis instructi. Primâ clangente tubâ tertia terræ pars exurit. Ignis bellum designat. Clangit tuba secunda, & mons in mare dejicitur. Judæorum ultimè sub Trajano & Adriano à Romanis deficientium supremum excidium, per eum montem in mare dejectum exhiberi putamus. Tertia clangit tuba, & fides à cælo cadit, venenoque flumina inficiuntur. Quo fortè fidere falsus Sideris filius Barchochebas exprimitur, qui Judæos adversus Romanos excitavit; quæ defectio Romanis quidem noxia, sed Judæis exitialis.

Quartâ clangente tubâ Sol & Luna tertiam suæ claritatis partem amittunt; quibus vel primæ hæreses, quæ Ecclesiam tertimè obumbrant, vel Judæorum infortunia, vel Romani Imperii calamitates designantur. Post hæc auditur Aquila, quæ gravioribus terram obruendam esse malis, ubi quatuor superstites Angeli sonitum edant, voce magnâ intentat. Clangit tuba quinta (cap. 9.), statimque stella de cælo delapsa ostium abyssi recludit; undè innumera locuta egressæ, omnem omnino terram populantur. Barbari, qui post Constantini, ejusque filiorum obitum, Romanum invaserunt Imperium, his locutis referuntur; quorum quidem populorum characteres per earundem locutarum figuram optimè exhibentur. Prophetæ ad Dei Majestatem efferendam figuratos sermones (cap. 11.) me usurpant. *Sibilabit Dominus in monte, inquit Isaias (p), quæ est in extremo fluminum Egypti, & ap. quæ est in terra Assur, & venient, & requiescent omnes in torrentibus vallium &c.* quibus utique verbis Egyptus & Assyriæ acies designavit.

Clangit sextus Angelus, & statim vo-

ce ex auro Altari egressa jussus solvit quatuor Angelos, qui utrique Imperio Parthorum, & Romanorum præsidio erant. His utriusque Imperii exercitus referuntur; quorum pacem ab anno 310. usque ad 337. utrinque mutuo habitam Sapore diremit. Constantinus, antequam bellum adoriretur, interit; cuius deinde impetus repulit Constantius, quin ullâ unquam momenti clade conficeretur. Verum Julianus interemptus occubuit, ejusque exercitus propè fuit, ut ab hujusmodi Imperatoris imprudentiâ atque temeritate ad postremum exitium perduceretur. Antequam tuba septima clangat, sese Angelus exhibet, (Cap. 10.) qui manibus libellum præferens, S. Joanni tradit devorandum. Quo Dei de sua Ecclesiâ consilia S. Joanni revelata ostenduntur.

Tum ipse Joannes jussus est (cap. 11.) Templum metiri, præter atrium exterius, & Civitatem Jerusalem, quod hæc mensura 42. seu diebus mille ducentis sexaginta, seu annis tribus cum dimidio à Gentibus essent proterenda. Hæc Diocletiani exhibitâ persecutio. Tum sanè Christi Ecclesia, ejusque Templum quòd ad exteriora attinet, Ethnicorum potestati tradita videbantur. Hi enim Ecclesiis everfis, Fidelibus obrutis, eorumque plurimis, vel quòd infirmi essent, vel temerarii, ad Apostasiam perductis, innumeros etiam peremere martyrio; quos Martyres duo, Testes designant, qui postquam per plurima præstitere prodigia, à Christi hostibus interfecit occubuerunt. Hanc procllam consequuta est tranquillitas. Constantinus Imperium in sui ditionem prorsus redegit; Ecclesia paci restituta est; Martyres demum & Cælum & tellus meritis honoribus cumularunt. Verum ut ea tranquillitate Ecclesia potiretur, plurima bella, per terræ motus decimam Urbis partem evertentis speciem in Apocalypsi designata, Constantino & obunda & suscipienda fuerunt.

Quæ Capitibus 10. & 11. quorum modò epitomen recensuimus, referuntur, illud tantummodò præstant, ut majori profundantur lumine, quæ subobscure per sex Angelos clangentes designata fuerant. Ab utroque hoc capite harum prædictionum solutiones haurimus, & quare tot calamitates Imperium obruerint, clariùs percipimus. Septimus tandem Angelus (cap. 11.) clangorem edit, lætaque vox insonat, qua Dei Filius victoriam & Regnum consequutus denunciat. Hæc pax Ecclesiæ per Constantinum.

Ecclesiæ persecutiones, quas septem sigillorum, totidemque tubarum figura rudius retulerant, consequentibus capitibus exhibentur expressius. Per mulierem Sole amictam (cap. 12.) partem proximam, quam unâ cum filio septem capitibus instructus, Draco devorare intentat, Jesu Christi Ecclesia præfertur. Septem Draconis capita septem Imperatores Ecclesiæ persecutores ostendunt, videlicet Diocletianum, Maximianum, Herculem Galerium, Maximianum, Severum, Maxentium, & Licinium. Ec-

Joann. 16.
33.

m Henric. Morus
Vision.
Apoc. 1. 5. c.
25. in Synopsi
p. 1661.
n Du Pin Apo-
calypsi. pag.
254.

p Isai. 7. 18.

Ecclesia persecutionibus inuitis felicissime emittitur: ut verò à furentium hostium impetu sese subducatur, in desertum aliquandiu perfugit, & ab insequentibus Draconis conatibus evadit incolumis.

Ut vividius adhuc tum Joannis Spiritui, cum Lectorum animis res eadem exhibeatur, bestia septiceps è mari egrediens, in quam Draco omnes suas vires confert, capite 13. inducitur. Bestia Romam, seu Romanum Imperium exprimit. Ex capitibus septem, quinque statim corruunt, quod Diocletianus, Maximinus, Galerius, Severus, Maxentius minus diu imperarint. Maximinus verò malis plurimis Ecclesiam in Oriente confecit. Sexto hoc delecto capite, septimum assurgit, quod brevi evertitur, puta Licinium. Egreditur tandem octavum, nempe Apostata Julianus, qui eodem hoc cap. 13. per bestia duobus cornibus Agni simillimis instructa speciem exhibetur. Ea omnia, quibus veluti coloribus Julianus ab Joanne describitur, per historiam mirifice adimplentur. Hoc 13. caput cum 17. à quo fufius explicatur, conferendum.

Jesu Christi & Martyrum victoria, æterni Evangelii per orbem universum confirmatio, & de Româ infideli ultio exacta, messis & vindemiae specie expressa, Capite 14. ostenduntur. Septem Angeli totidem phialas (cap. 15.) irâ Dei plenas in Jesu Christi, & Ecclesie hostes effundunt (cap. 16.). His fortè innuuntur calamitates, quæ post Constantini, ejusque filiorum obitum Imperium obruerunt. Hæc luculentius in Commentario videntur. Cap. 17. magnam inducit meretricem, Regum terræ Dominam, septem montibus insidentem, & Martyrium sanguine perfusam, quæ mysticè Babylon appellatur, quæque prostitutionis suæ mero populos omnes inebriat; quibus omnibus Romanum Imperium, seu Roma perspicue designatur; singuli enim hi characteres non nisi Romæ infideli, veluti Romani Imperii Metropoli congruunt. Hæc magna meretrix septicipiti bestia infidet. Bestia interficitur, ejusque septem capita septem Imperatores Ecclesie persecutores, octavum verò Julianum Apostatam exhibentia, evertuntur. His decem cornua succedunt, nempe Barbarorum Reges, qui in Romano Imperio sibi sedibus constitutis, Romanæ Religionis ritibus, atque moribus adherere decreverant. Hi primum in Ecclesiam & Agnum anima sua verterunt; demùm verò prostrati se Fidei dedere, & ei, quem insequenti fuerant, cultum venerationemque adhibere.

Caput 18. bellorum omnium, omniumque minarum, quas hucusque vidimus, veluti conclusio. Babylon evertitur; Domini populus incolumis egreditur; nationes, & longinqui Reges ejus excidium plorant; execrantur alii, ejusque infortunis insultant. Alaricus Româ captâ Sanctos & Martyres ulciscitur. Christi de hostibus suis victoria; de Roma, Romanisque Imperatoribus ultio; Agni demique Nuptiæ, & Sanctorum, qui ad has nup-

tias vocantur, felicitas confusè capite 19. describuntur.

Tria cætera Capita 20. 21. 22. ad alteram vitam, & ad mundi exitum respiciunt. Idololatricæ Impetto everso, & Martyrum sanguine vindicato, ab Angelo Draco seu Diabolus catenâ devinctus in abyssum ad mille annos detruditur; quibus peractis, iterum solutus, Gog & Magog adversus Christum & Ecclesiam concitat; utrumque verò ignis de cælo delapsus absumit. Hæc sub mundi exitum Antî Christi adventum referunt. Demum supremus Judex coram suo Tribunali omnes homines sistet, quorum alios, ut singulorum opera postulant, præmio, alios supplicio mancipabit.

Calis, terrisque (cap. 21.) innovatis, Christi Sponsa, nova Jerusalem, Catholica Ecclesia de Cælo ad sponsum advenit; eorum nuptiæ celebrantur. Hac novâ Sponsâ ditius nil, nilque venustus. Electi omnes convivio interfant. Urbem mediam (cap. 22.) deliciarum fluvius intersecat, & secus fluvium plurimè, quæ immortalitatem afferunt, arbores assurgunt. Per has magnificas species, post generalem resurrectionem, æterna Beatorum in Cælis voluptas exhibetur. Hæc totius Libri œconomia.

ARTICULUS VI.

Apocalypses Apocrypha Apostolicas S. Joanni, S. Petro, S. Paulo, S. Thoma, S. Stephano &c. falsò adscripta.

Impositores, qui Epistolas, Acta, & falsa Evangelia Apostolorum nomine supposuerunt, isdem & revelationes, seu Apocalypses falsas adscribere. Extat in Vindobonensi Bibliothecâ (q) Codex Græcus manuscriptus, qui ita inscribitur: Apocalypsis S. Joannis Theologi, de Antichristo. Post Ascensionem Domini nostri Jesu Christi, cum essem solus, ego Joannes, in monte Tabor &c. Hunc verò Librum Veterum nemo agnovit; ea propter nihili habendus.

Falsa S. Petri Apocalypsis celebrior est, atque vetustior; ejus enim apud Theodorum secundi sæculi Scriptorem (r), apud S. Clementem Alexandrinum (s), Eusebium [t], Hieronymum (u), & alios Veteres mentio. In Palæstina Ecclesiis hæc, teste Sozomeno (x), singulis annis Parasceves die legi consueverat; qua præterea die omnes Passionis Dominicæ obsequio cibis abstinabant. Et nunc apud Aegyptios hunc Librum venerationis haberi, & in Ecclesiis legi ferunt [y], quod prorsus incertum. Jacobus Vitriacus sæculi 13. Author, Petri quamdam Apocalypsim allegat, quæ ita inscribitur: Revelationes Beati Apostoli S. Petri, à S. Clemente ejus Discipulo in volumen digesta. Hujus Author de Agarenorum, seu Turcarum legis everfione, & de proximo Pa-

z. 2. Cor. 12. 2. &c.

Epiph. hæref. 38. c. 2. p. 277.

August. in Joan. hom. 98.

Sozom. 1. 7. c. 19.

Garbe Spicileg. Pat. tom. 1. pag. 85. ex Biblioth. Merton. Cod. 13. 2. art. fol. 77.

Euseb. hist. Eccl. 1. 3. c. 28. ex Cajo Rom. Eccles. Presbyt. Theodoret. Hæret. Fab. 1. 2. c. 3.

Apud Lambec. Cod. 119. fol. 113. 115.

Vide Grabe Spicileg. tom. 1. pag. 74. apud Clem. Alex.

Vide Euseb. 1. 6. c. 14.

Vide Euseb. 1. 3. hist. c. 3.

Hieron. Catalog. Scriptor. Eccles. de S. Petro

Sozomen. 1. 7. c. 19. Vide & Nicephor. 1. 12. c. 34.

Prænotul. Elench. hæref. pag. 138. Petr. de Luxemburg. Catalog. hæref. 1. 2.

ganissimi excidio Petrum meminisse testatur. Eâ, quam Veteres allegant, hanc Apocalypsim jure merito recentiorum putamus; quare minor etiam eidem fides.

S. Paulus (z) usque ad tertium Cælum, seu in Paradisum se raptum & mirabilia, quæ fieri nequit ut ab homine proferrantur, se vidisse fatetur. Hujus occasione raptus, Cainite (a) nefarium contempere Librum, quem S. Pauli Anabaticum appellatum S. Paulo adscribere. Eo Gnifici etiam utebatur.

S. Augustinus (b) cujusdam S. Pauli Apocalypsis fabellis undique referret meminuit, quæ Apostoli ineffabilia referre dicuntur. Sozomeno teste (c), quamdam S. Pauli Apocalypsim plurimi quinti sæculi Monachi permagni faciebant, quam arcâ marmorèâ conditam Tharsi Cilicia in adibus S. Pauli, Theodosio I. imperante, inventam ostentabant. Quamobrem Sozomenus veritatis indagandæ cupidus, optimum quemdam Senem Tharsensis Ecclesie Presbyterum consulit; à quo hujusmodi quicquam apud ipsos non accidisse, & fortè id esse hæreticorum commentum, accepit. Eam præterea Veteribus prorsus incognitam asserit. Quamobrem alia est ab Ascensione, seu Apocalypsi S. Pauli, cujus apud Epiphanium & Augustinum mentio. Et profectò credi facile non potest, quod Monachi Sozomeno coævi tantum eam fecissent, si tot, quot hi Patres testantur, fabellis redundasset.

Oxonii in Bibliothecâ Mertonianâ Manuscriptum, S. Pauli revelatio inscriptum, D. Grabe invenit [d], quo ea, quæ per triduum, postquam resipuit, Apostolus viderat, referuntur: quo triduo S. Michael Inferni & Purgatorii penas Paulo videntur exhibuit; Paulus verò iis animabus à Deo veniam obtinuit, quæ deinceps qualibet die Dominicâ in Purgatorio excruciantur reperirentur; quod utique solum deliramentum & novitatem, & unâ Operis falsitatem comprobatur.

Cerinthus, primi sæculi hæresiarca nequissimus suam edidit Apocalypsim (e), quæ sibi veluti Apostolo præstantissimo, sublimia plurima ab Angelo revelata ostentat. Post resurrectionem terrestræ Jesu

Christi Regnum Jerosolymis constituendum præsertim asserit; quo in Regno ad annos mille inter sentium voluptates protrahendo, homines, quemadmodum nos in præsentia, vitis, & concupiscentiis iterùm subjiciuntur. Hinc fortè factum est, ut Veteres nonnulli (f) veram S. Joannis Apocalypsim Cerintho tribuerint; utque alii, an Joannis verè fuerit, dubitarint (g). Inde etiam de canonicâ ejus auctoritate dubium invecitum, quod millenario Regno per eandem exhibitò Hæretici abuterentur. Quædam demùm simillimi species, quam eo de millenario vera Apocalypsis eum falsâ præfert, in causâ fuit, ut vererentur plurimi, ne utramque confunderent, & Cerinthi commentum, veluti Joannis revelationes, exciperent.

Anno 1595. novam quamdam Apocalypsim plumbeis laminis insculptam, ab iis, quas hucusque retulimus, prorsus aliam, Granati in Hispaniâ repertam ferunt. Hispani quidam Authores Cæcilio S. Jacobi Majoris Discipulo, quem Hispaniarum Apollolum vocant, eandem adscribunt (h). Cæcilius secundo Neronis anno martyrio absumptus eam, inquit, Hispanicè vertit, & commentarius adauxit. Plura de Mahometi Imperio, & de ejus sectatorum vastationibus, quibus obruendæ erunt Hispaniæ, ibi occurrunt vaticinia. Qui verò S. Cæcilius tandiù antequam Hispanicum idioma institueretur, Hispanicè scripserit? Quod, inquit Franciscus Bivaricus (i), novi, exteri, & adhuc occulti idiomatis donum divinitus acceperit; seu quod, juxta Gregorium Lopez (k), Christi & Apostolorum ætate, Hispanicum idioma usum jam convalescisset, quod deinceps plurimis Arabum verbis immixtum desit. Verùm hæc ab ipsis Hispanorum sapientibus improbata, & à Summis Pontificibus damnata deliramenta prætereamus (l).

Utramque Apocalypsim, quarum alteram S. Thomæ, alteram S. Stephano Protomartyri tribuunt, Gelasii Decretum rejicit. Hanc postremam Manichæi, ut Serapion testis est, tanti habebant, ut femori inscriptam gererent (m); quamquam id in editis Scriptoris hujus Exemplaribus non occurrit (n).

Vide Philastr. hæref. 69. & Epiph. hæref. 50. Quidam apud Dionys. Alex. apud Euseb. 1. 7. c. 25.

Dionys. Alex. apud Euseb. 1. 3. c. 39. alii. h. Vide Bivaricum, Michæel. de luna Bern. de Aldrede &c.

apud Fabric. tom. 2. de Apocryph. p. 923. i Bivaricus Cisterciensis. Monach. Comment. in pseudo Dextri Cronie. ann. 54. pag. 110.

Gregor. Lopez Apolog. pro verâ Sancti Montis Granat. antiquitate.

Vide apud Bolland. tom. 1. Februar. p. 10. & tom. 7. Maji, pag. 285.

Apud Sixt. Senens. 1. 2. ex Serapionis Opere contr. Manich. n. hinc neque apud Sixtum Senensem. Vid. loc. cit.